



Hama magno corpore insignis, sub Suertin-
 Hgo Saxonum duce bella secutus res maxi-
 mas peregit, ac sua uirtute magnam militiae lau-
 dem tulit. Accidit autem quandoq; ut Saxones
 cum Danis dubio Marte pugnassent, ac tandem
 utraq; gens belli aleam duello committere statue-
 rent. Ibi Hama magno animo in publicum pro-
 gressus, hostium regem ad certamē prouocauit.
 Verūm is Hamæ fortitudinem cognoscens, Star-
 catherum gigantem suo loco Hamæ opposuit. I-
 bi Hama Starcatherum sola manu percussum in
 terram prostrauit. Verūm Starcatherus surgens

pudore & furore incensus gladium corripuit, atq; magno robore Hamæ ca-
 put dissecuit. Ab hoc Hama aliqui Hamburgum urbem nominatam asserūt,
 propterea quod eo loci à fortissimis illis heroibus duellum commissum fue-
 rit. Alb. Crantz. Sax. lib. 1. cap. 11.